IN NOMINE TRINITATIS 29 IV

DE

SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ

DISPUTATIO THEOLOGICA TERTIA.

Quæ est

DE SENSU PATRUM.

Quam

In Illustri Universitate Jenensi

PRAESIDE

VIRO

Plurimùm Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo,

DN. CHRISTIANO CHEMNITIO, SS. Theologiæ Doctore, Professore Publico, ùt & Ecclesiæ & Diœceseos ibidem Pastore & Superintendente; Patrono & Præceptore suo ætatèm colendo & honorando,

Publicè Respondendo tueri conabitur,

JOHANNES ARNOLDUS MELLE, Northusâ-Cheruscus.


Ad d. X. Novembris,

In Auditorio Theologico.

JENÆ,

TYPIS GEORGII SENGENWALDI,

ANNO M. DC. LIV.



In Nomine SS. Trinitatis.

DISPUTATIO THEOLOGICA *DE* SENSU SACRÆ SCRIPTURÆ TERTIA:

THESIS I.



Ontra Tridentinos Patres, ostendimus *Disputatione Secundâ*, SENSUM Scripturæ non dependere à *SENSU ECCLESIÆ*: Demonstrandum ergò nunc est, contra eosdem; *Quòd non dependeat à SENSU PATRUM.* Sic enim *Disp. 1. th. 11.* pronunciabat Concilium Tridentinum: *Decrevit* (Sacrosancta Synodus) *ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero SENSU & Interpretatione sanctarum Scripturarum, aut etiam contra UNANIMEM CONSENSUM PATRUM, ipsam Scripturam interpretari audeat.* Duo itaque sunt, quæ restant in *Disputatione hac* expedienda. Nam I. demonstrandum erit, quòd *SENSUS SCRIPTURÆ non dependeat à SENSU vel UNANIMI CONSENSU PATRUM.* II. Ostendendum erit: *Ecquo loco tandem SENSUS & TESTIMONIUM, tàm universalis; quàm particularis alicujus Ecclesiæ: ùt & SENSUS & TESTIMONIUM Patrum, à nobis sit habendum.*

II. Quæ

II. Quæ igitur de PATRIBUS, Pontificiorum sententia sit, ex illis Concilii Tridentini verbis patet, & uberiùs exponitur à *Beato nostro Gerhardo, in Confess. Cathol. Lib. I. Part. II. cap. 13. p. 551.* Dicit enim *Glossa* in c. *Noli.* dist. 9. *Loquitur hic secundùm illa tempora, cùm adhuc scripta Augustini & aliorum Patrum non erant authentica, sed hodiè jubentur omnia teneri usque ad ultimum Jota. Eccius* in *Enchirid. art.* de *Concil. Tollatur Patrum & Conciliorum auctoritas, & omnia in Ecclesiâ erunt* ambigua, dubia, pendentia, incerta. *Melchior Canus lib. 7. loc. Theolog. cap. 3. n. 10. Sanctorum omnium sensus in expositione sacrarum literarum, Spiritûs Sancti sensus ipse est.* Et *num. 13. Quod major pars Patrum senserint, id esse Catholicæ fidei, profitemur.* Et evidentissimè *Gerhardus Lorichius Hadamarius, in Instit. Cathol. fidei orthod. art. 11. f. 50. Sensus verus Scripturæ, ex Patrum monumentis petendus, ex sensu eo, quo Patres Scripturam intellexerunt, & sententiis Patrum, omnium controversiarum finis est faciendus.* Hinc & *Gregor. de Valentiâ* in *Analysi lib. 8. cap. 8.* scripsit. *Quod Patres sive Doctores unanimi consensu circa religionem tradunt, infallibiliter verum est.* Et *Gordonus Huntlæus, controv. 2. c. 28. p. 317. Constanter asserimus, concordem Patrum sententiam, pro infallibili normâ fidei ab omnibus habendam esse.* Ad quod centrum collineant quoque fratres, *Adrianus* & *Petrus VValenburchii*, in *Motivo II.* Principis ERNESTI *cap. 4.* quando, postquam dixissent, *DEUM decrevisse mundum per testes edocere*; subjungunt: *Perspexit hanc veritatem S. Justinus Martyr, quando dixit, in Exposit. fid. pag. 64. C. Unum DEUM colere nos & divinæ Scripturæ, & Patrum doctrinæ docent. Quibus quidem verbis, & testes testibus, & testimonia testimoniis conjungit. Prophetis scilicet Patres subordinans, & Prophetarum testimoniis Patrum testimonia connectens, quò*

testium,

testium, testimoniorumque continuatâ serie, veritatem de uno DEO colendo se edoctum esse, profiteretur. Ex quibus haud obscurè liquet, quòd Patres ita credant Prophetis subordinatos fuisse, ut & ipsi participaverint aliquid de auctoritate infallibili, quæ tanquam *indemonstrabilis*, ùt c. 28. loquuntur, necessariò sit admittenda. Unde dicunt in *Motivo II. c. cit. 28. Ostendimus in præcedentibus, auctoritatem docentis infallibilem in CHRISTO JESU fuisse constitutam, in Apostolis continuatam, in Ecclesiâ receptam & propagatam.* Similia invenientur apud Valerianum Magnum in Regulâ credendi, p. 42. 47. 48. Statuunt ergò *ab Expositionibus Patrum, Scripturæ Sacræ SENSUM, tanquam à normâ & auctoritate aliquâ infallibili, quoad nos dependere, & Patribus, tanquam alicui normæ fidei esse credendum.* Est enim titulus illius *28. capitis: Necessariò admittendam esse auctoritatem docentis infallibilem.*

III. Quia autem nos juxta Formulam Concordiæ, *edit. nova, p. 570. Credimus, confitemur & docemus, unicam regulam, & normam, secundùm quam omnia dogmata, omnesq́ Doctores æstimari & judicari oporteat, nullam omninò aliam esse, quàm Prophetica & Apostolica scripta, cùm veteris, tum Novi Testamenti, sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et quia divus Paulus inquit: Etiamsi Angelus de cœlo aliud prædicet Evangelium, anathema sit. Reliqua verò sive Patrum sive Neotericorum scripta, quocunque veniunt nomine, sacris literis nequaquā sunt æquiparanda, sed universa illis ita subjicienda, ut aliâ ratione nō recipiantur, nisi testium loco*; adeoque SENSUS SCRIPTURÆ, non secundùm Expositiones Patrum; sed EXPOSITIONES PATRUM, secundùm SENSUM SCRIPTURÆ sunt æstimandæ: Ideò nunc demonstrabimus; *Quòd SENSUS SCRIPTURÆ non dependeat à SENSU PATRUM, sive unani-*

 mis

mis sit, sive discordans: sed quòd dependeat à SOLO SPIRITU SANCTO, per Sacram Scripturam ad nos loquente.

IV. Argumentamur itaque I. ita: *Quicunque destituuntur dono infallibilitatis in exponendis Scripturis, ab iis non potest tanquam ab infallibili quâdam auctoritate SENSUS SCRIPTURÆ quoad nos dependere.* Sed *Patres destituuntur dono infallibilitatis in exponendis Scripturis.* E. *Ab iis non potest tanquam ab infallibili quâdam auctoritate SENSUS SCRIPTURÆ quoad nos dependere.* Major probatur: 1. quia Scriptura non est ἰδίας ἐπιλύσεως, *2. Petr. 1. v. 20* Sed sicut est θεόπνευστος: ita quoque ejus SENSUS ab infallibili Spiritûs Sancti θεοπνευστίᾳ, nec ab humano ingenio, aut ἰδίᾳ ἐπιλύσει dependet. 2. quia, si SENSUS SCRIPTURÆ quoad nos dependeret ab auctoritate aliquâ fallibili: FIDES nostra non esset nisi probabilis quædam opinio, cum formidine oppositi conjuncta. *Per fidem verò ambulamus, non per speciem. Titubabit autem FIDES, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas. Porrò fide titubante, charitas etiam ipsa languescit. Nam si à fide quisque reciderit, à charitate etiam necesse esse cadat: non enim potest diligere, quod esse non credit,* inquit rectissimè *August. Tom. III. Libr. I. de Doct. Christ. cap. 36. p. 9.* Si autem titubat fides, quando divinarum Scripturarum vacillat auctoritas: etiam titubabit, quando EJUS SENSUS quoad nos dicetur dependere ab aliquâ auctoritate fallibili. Hinc ipsi confitentur *VValenburchii*, in *Motivo II. cit. cap. 28. Necessariò admittendam esse auctoritatem docentis infallibilem.* Et p. 99. dicunt: *Hæc igitur est illa auctoritas indemonstrabilis*; (nempe *auctoritas docentis infallibilis, in CHRISTO JESU constituta, in Apostolis continuata, in Ecclesiâ recepta & propagata; quæ nos moveat partim miraculis, partim sequentium multitudine, tanquam evidenter credibilis: sed planè permoveat, si eam consideremus, ut divinitus*

rienti constitutam, quæ præsidente divinâ providentiâ dirigatur, ùt in præcedentibus loquuntur. *quæ necessariò admittenda est, si ad salutarem DEI notitiam pervenire statuamus.* Expressè itaque requirunt, ut auctoritas illa, per quam ad salutarem DEI notitiam aliquis pervenire studet, sit *indemonstrabilis, & principium aliquod infallibile,* à quo videlicet, tanquam à principio quodam immoto & indemonstrabili FIDES nostra dependeat. *Major* ergò *Propositio* certa est.

V. *Minor* probatur. I. Quia donum Infallibilitatis solis competit Auctoribus θεοπνεύστοις, Prophetis & Apostolis; Patribus autem, & aliis Doctoribus competit *non fallere*, quatenus sequuntur sacram Scripturam; & quatenus vocem Spiritûs Sancti per EAM loquentem hominibus proponunt. In sese & ex sese autem sunt fallibiles, nec ab ullius Patris auctoritate ducitur infallibile argumentum, nisi quatenus ejus sententia desumta est ex infallibili Sacrâ Scripturâ. Habent enim & ipsi perinde ùt alii homines finitam sapientiam, & intellectum finitum. E. possunt errare. Habent finitam bonitatem. E. possunt fallere. Solis autem Canonicis Prophetarum & Apostolorum scriptis competit, esse infallibilem fidei normam & regulam: quandoquidem hæc sola est θεόπνευστος. Scripta Patrum autem talia non sunt, ùt ipsi venerandi Patres sine contradictione concedunt. Legatur enim vel unica *Epistola XIX. Augustini*, quæ est ad *Hieronymum* scripta, & habetur *Tom. II. p. 27. Edit. Plant.* ac apparebit: *An Patribus tribuenda sit in Expositione Scripturarum Infallibilitas?* Quia enim 1. sub finem *Epist. XVIII.* quæ *Hieronymi* est, idem dixerat: *In Scripturarum campo, si placet, sine nostro invicem dolore ludamus:* rejicit *illud verbum* Augustinus, & dicit: *Equidem, quantum ad me attinet, seriò nos ista, quàm ludo agere mallem.* 2. Apertè dicit, illius Epistolæ Capite I. *Ego enim fateor, charitati tuæ, solis eis*

Scri-

Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq́ deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm vel mendosum esse codicem; vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est; vel minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantálibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt; vel quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus inquā, non te, arbitror sic libros legi tuos velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum: de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à piâ humilitate & veraci de temetipso cogitatione: quâ nisi esses præditus, non utique diceres, Utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutuâ vel doceremus aliquid, vel disceremus!

VI. Hæc ibi, & alia plura *Augustinus!* Quæ tàm perspicuæ veritatis visa fuerunt vel ipsis adversariorum Majoribus, ut referrentur in Corpus Canonicum. Leguntur enim, *Cap. Ego solis. Dist. 9.* Et in eâdem *Dist. c. Noli meis.* itidem ex August. adducitur: *Noli meis literis, quasi Canonicis Scripturis deservire.* Et *Cap. Negare. Dist. ead.* citra ullam tergiversationem dicta; probatur sententia ejusdem *Augustini: Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio, & nullâ temeritate culpari.* Ubi audis, & in ipsis *majoribus*, & in *scriptis Augustini* esse, *quæ justo judicio, & nullâ temeritate possint culpari.* Quomodo igitur habuerunt Donum Infallibilitatis? Similia leguntur, *Dist.* eadem, ex eodem, *c. Quis nesciat. c. Noli frater. c. Neque quorumlibet.* Cujus rei evidentiâ etiam convicti, scripserunt: *Biel, Lect. 41. in Can. Missæ: Sanctorum Patrum auctoritas ad assentiendum ipsorum dictis neminem*

com-

compellit, *nisi in divinis fundata fuerit Scripturis*, *aut divinæ innitatur revelationi.* Item: *Auctoritates Patrum sine Scripturis non obligant ad fidem.* Ac *Petrus de Aquilà 3. sentent. dist. 23. q. 2. Nuda Patrum expositio, quæ literâ destituitur, non parit consequentiam fidei.* Et *Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 12. Patrum scripta non sunt regula, nec habent auctoritatem obligandi.* Si ergò non sunt regula, nec habent auctoritatem obligandi: irrefragabiliter sequitur; quòd *Dono Infallibilitatis destituantur*, nec ab illorum Expositionibus, tanquam ab infallibili aliquâ & indemonstrabili auctoritate, SENSUS SCRIPTURÆ, quoad nos dependeat. Vid. cit. l. *B.* nostrum *Gerhardum.*

VII. Inquis: *Idem Augustinus tamen in illâ citatâ Epistolâ XIX. Hieronymo talem auctoritatem, & immediatum dictamen Spiritûs Sancti tribuit*, dum dicit, *cap. 1. Quod si hoc verbum tibi propter facilitatem ponere placuit, ego fateor, majus aliquid expecto à benignitate virium tuarum, prudentiaq́; tàm doctâ, & ociosâ, annosâ, studiosâ, ingeniosâ, diligenti, hac tibi non tantùm donante, verùm etiam dictante Spiritu Sancto, ut in magnis & laboriosis quæstionibus, non tanquam ludentem in campo Scripturarum, sed in montibus anhelantē adjuves.* In quibus, ùt vides, certè expressis verbis Hieronymo videtur tribuere: quòd non tantùm *donante*, verùm etiam *dictante Spiritu Sancto*, sententias suas expromat. Sed Respondemus. Si Augustinus Donum Infallibilitatis & immediatum dictamen Spiritûs Sancti credidit Hieronymo inesse: cur statim subdidit: *Prorsus non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à piâ humilitate & veraci de temetipso cogitationne: quâ nisi esses præditus, non utique diceres; Utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutuâ vel docere-*

 mus

mus aliquid, vel disceremus? Cur non acquievit in sententiâ Hieronymi, quam tulit *de reprehensione Petri factâ à Paulo, Gal. 2. v. 14.* sed quasi per Ironiam & satis acerbè dicit, cap. II. *At enim satius est credere, Apostolum Paulum non verè aliquid scripsisse* (dum scripsit cit. l. Petrum & Barnabam non rectè ad Evangelii veritatem se vidisse ingredientes) *quàm Apostolum Petrum non rectè aliquid gessisse? Hoc si ita est, dicamus, quod absit, satius esse credere, mentiri Evangelium, quàm negatum esse à Petro CHRISTUM: & mentiri Regnorum* (Regum) *librum, quàm tantum Prophetam à Domino DEO tàm excellenter electum, & in concupiscendâ atque abducendâ uxore alienâ, commisisse adulterium, & in marito ejus necando tam horrendum homicidium.* Et addit lit. D. *Ego quidem illud Petrum sic egisse credo, ut gentes cogeret Judaizare. Hoc enim lego scripsisse Paulum, quem mentitum esse non credo: Et ideò non rectè agebat hoc Petrus!* Cur ad auctoritatem *Eusebii Emiseni, Theodori Heracleotæ, Joh annis, &* aliorum, quos pro sese citaverat Hieronymus, respondet quidem, *nec sibi defuisse, quos sit secutus, nempe Ambrosium & Cyprianum:* Sed mox subjicit: *Quanquam, sicut paullò antè dixi, tantummodo Scripturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem; quâ eas solas sequar, ut conscriptores earum nihil in eis omninò errasse, nihil fallaciter posuisse, non dubitem. Proinde cùm quæro tertium,* (nempe qui cum *Ambrosio & Cypriano* pro suâ sententiâ stabiliendâ sit testis tertius) *ut tres etiam ego tribus opponam, possem quidem, ùt arbitror, facilè reperire, si multa legissem, veruntamen ipse mihi pro his omnibus, imò supra hos omnes Apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio: ad ipsum ab omnibus, qui aliud sentiunt, literarum ejus tractatoribus provoco: ipsum interrogans interpello, & requiro in eo, quod scripsit ad Galatas; vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem propterea restitisse, quòd illâ simulatione gentes Judaizare cogebat?* Quæ omnia luculenter sententiam nostram

confir-

confirmant, & oſtendunt: Auguſtinum in illis verbis, nec *Donum Infallibilitatis*, nec *immediatum Dictamen Spiritûs Sancti* Hieronymo tribuiſſe. Sed locutum eſſe de *Dictamine Spiritus Sancti MEDIATO*, quando Hieronymus ſecundùm SENSUM & ductum Scripturæ aliquid pronunciabat, & per vocem Spiritus Sancti ex Scripturis depromtam, magnas & laborioſas quæſtiones decidebat. Unde & ei tribuebat *benignitatem virium, prudentiamq́, doctam, & ocioſam, annoſam, ſtudioſam, ingenioſam, diligentem*; quippe qui diu in Sacris literis exercitatus fuerat. Ubi autem Hieronymus recedebat ab hoc dictamine Spiritus Sancti, ibi ei apertè contradicebat Auguſtinus, & Paulum vindicabat à ſuſpicione mendacii, ùt in allatis verbis vidimus. Indicio igitur hoc eſt manifeſtiſſimo; quòd nunquam Patribus aliter fuerit creditum, quàm *quatenus ipſorum ſcripta cum Sacrâ Scripturâ concordarunt*: Et quòd nullus inter eos, vel SIBI vel ALIIS tribuerit DONUM Infallibilitatis, & Auctoritatem infallibilem in Expoſitione Scripturæ. Sed quicquid unquam infallibilis Auctoritatis in Eccleſiâ fuit, conſtanter creditum fuit ab Orthodoxis Doctoribus & Patribus, reſidere penes Prophetas & Apoſtolos, & penes Canonicas Scripturas. Frendeat hîc Pater mendacii, & os diſtorqueat à terris ad orcum uſque: tamen immota & inconcuſſa VERITAS ſtabit.

VIII. Probatur *Minor* II. *Quia Patres ſæpiſſimè in Expoſitione Scripturarum diſcordant.* Implicat autem contradictionem: aliquos habere DONUM INFALLIBILITATIS: & tamen eoſdem ſibi invicem contradicere; cùm veritas ſibi ſemper conſtet, nec verum vero, ſed verum falſo, & vicisſim falſum vero, contradicat. Si itaque aliqui habent DONUM INFALLIBILITATIS, non poſſunt ſibi invicem contradicere: quoniam ex intrinſecâ ratione DONI INFALLIBILITATIS, non poſſunt dicere, niſi verum. Si autẽ ſibi con-

tradicunt, non habent DONUM INFALLIBILITATIS, quia eo ipso dum dicunt contradictoria, verum simul ac falsum necessariò dicunt & pronunciant, & necesse est alteram partem errare; ùt cuilibet prudenti patet. Quod a. Patres sibi contradicāt, viderunt apud *Petrum Svavem* in Histor. Concil. Trid. p. 173. ipsi nonnulli Patres & Theologi, dum monuerunt: *In Patrum scriptis, non modò magnam opinionum diversitatem, verùm contrarietatem quoque conspici; sed quæ cum arctissimâ charitate sit conjuncta.* Et in specie *Dominicus Soto* dixit, p. 174. *In diversis expositionibus veterum Patrum reperiri contrarietates; quarum una alteri refragetur.* Ubi prius de *contrarietate* est verissimum. Sed posterius hîc admitti non potest. Nam quamvis Personæ arctissimâ charitate sint conjunctæ, quæ docent contradictoria: tamen ipsæ sententiæ, quæ sibi contradicunt, in tantum diffident, ut, quamdiu stet contradictio, in æternum non possint conciliari; cùm *Impossibile sit*; *Idem simul esse aut non esse.* Aut; *Duo contradictoria simul esse vera.* Quamdiu igitur aliqui docent contradictoria: non sunt quoad illam doctrinam, arctissimâ charitate conjuncti. Sic de loco, *1. Tim. 3. v. 2.* Oportet Episcopum unius uxoris esse maritum, contrariæ fuerunt *Hieronymi* & *Augustini* sententiæ. Et *sexcentis idipsum comprobari posset similibus exemplis*, inquit *Gerhardus l. cit. p. 556.* Inde *Hieron.* in *præfat.* ad Hoseam Prophetam, postquam recitasset, quorum Auctorum expositiones legisset, quæ in eundem Prophetam essent commentati, nempe Apollinarii, Laodiceni, Origenis, Pierii, Eusebii Cæsariensis, Didymi Alexandrini, subjicit: *Hæc dico, ut noveris, quos in ejus Prophetæ campo habuerim præcursores, quos tamen, ut simpliciter, & non superbè (sicut quidam amicorum meorum semper insibilat) tuæ prudentiæ fatear, non in omnibus sum secutus, ut Judex potiùs eorum operis, quàm Interpres exsisterem, diceremq; quid mihi videretur in singulis.*

IX. Ita,

IX. Ita, ut in *praeced.* vidimus de *facto Petri*, discordarunt iidem *Hieronymus* & *Augustinus*. Ac à cæteris sanctis Doctoribus discordat Augustinus, in opere sex dierum, & ponit omnia simul facta, numerans dies non secundùm successionem temporum, sed secundùm distinctionem cognitionis Angelicæ rerum in proprio genere & verbo. *Item: Augustinus* omnium Psalmorum auctorem facit Davidem: negat autem hoc *Hieronymus*. *Hieronymus* super Epistolam ad Titum tenet: *Angelos per multa secula ante visibilem mundum extitisse, & DEO serviisse.* Alii autem id negant. *Sanctos*, quos dies extremus deprehendet, *non morituros*, sed vivos assumendos, dicit *Hieronymus*, scribens de quinque quæstionibus ad Marcellam: *Omnes* autem tunc *morituros*, affirmat Augustinus in libris de Civ. Dei. Dictum Psalmi: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Et illud CHRISTI: *Prædicabitur Evangelium hoc in universo mundo*; completum esse per Apostolos, scribit super Matthæum Hieronymus. Nondum hoc esse impletum, tenet in Epistolâ ad Exitium, & super Matthæum *Origenes*. Uti hæc & alia docuit domesticus Pontificiorum scriptor, *Picus Mirandula*, in *Apol. tom. 1. p. 144.* qui videndus. Quis igitur Patribus tribuere velit Infallibilitatem in interpretandis Scripturis?

X. *Minor* probatur III. *Quia ipsi Pontificii Scripta Patrum submittunt judicio Ecclesiæ: quod facere non possent, si Patres habuissent immediatam θεοπνευστίαν, & DONUM INFALLIBILITATIS.* Hinc ita *Bellarm. Lib. 2.* de Romano Pontifice, *cap. 27. §. ult. Pontifex non habet ullos in Ecclesiâ Patres, sed omnes filios. Quid verò mirum est, si non Pater filiis, sed filii Patri suo subjiciantur? Papa nec Patribus, nec eorum canonibus cogi potest.* Quemadmodum igitur de modernis Scriptoribus, p. 198. *Breviaris Extensi* scribit, *Plurimùm Reverendus, Dn. D. Johannes Hülsemannus, Amicus & Frater noster in CHRISTO honoratissimus: Hodieq;*

si absque Indicibus Expurgatoriis, Censuris, & corruptelis scriptorum sub Papatu in chartas venientium esset, demonstratu facile foret: Esse in singulis Provinciis Papistarum, in hanc usque diem, qui publicè idem scribant & doceant. Ut pluribus ibid. §. 9. ostenditur: Sic etiam Scripta Patrum non tantùm Ecclesiæ judicio submittunt: sed etiam mutilationis & immutationis sæpe non sine causâ postulati & accusati fuerunt. Nam admodum suspectum est, quòd *Sixtus Senensis in Epist. Nuncupatoriâ, Operi suo præmissâ ad Pontificem Pium V.* scripsit: *Expurgari curasti, Beatissime Pater, omnium Catholicorum scriptorum, & præcipuè Veterum Patrum scripta.*

XI. Probatur *Minor* IV. *Quia Patres sæpissimè errarunt.* Errare autem, & DONUM INFALLIBILITATIS habere sunt incompossibilia. *Errasse* autem, non solùm confitentur Pontificii, ùt multis ipsorum testimoniis, in *Conf. Cathol. l. cit. Part. 1. p. 505.* probat *B. Gerhardus*; Unde Episcopus Roffensis in *confut. proœm. Lutheri p. 42.* scripsit: *Et nos aliquoties errasse Patres, non diffitemur, homines enim erant, sicut nos*: Sed etiam in specie *Errores quosdam* Præstantissimis Patribus & Historicis adscribunt. Ut de Justino Martyre, Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Origene; Cypriano, Dorotheo Tyri Episcopo, Lactantio, Eusebio Cæsariensi, Basilio, Epiphanio; Cujus factum, auferentis velum, in quo erat imago CHRISTI in loco sacro, quando opponitur, respondet *Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothec. annot. 247. Una hirundo non facit ver!* Ambrosio, Philastrio, Amphilochio, Hieronymo, Gregorio Nysseno, Ruffino, Prudentio, Chrysostomo, Auctore imperfecti operis, Augustino. De cujus durâ sententiâ de parvulis, *Dominicus à Soto* de Naturâ & gratiâ *lib. 1. cap. 14.* dicit: *Augustinus plus justo videtur torquere parvulos non baptizatos, unde qui ejus sententiæ subscribunt, perpauci sunt, & tortores parvulorum nuncupantur.* Theodoreto, Cassiano, Socrate & Sozomeno,

Pro-

Procopio, Gregorio, Damasceno, Oecumenio, & aliis; evidenter ac cum stupendâ industriâ, ostendit *desideratissimus* noster *Gerhardus.* Ubi etiam simul demonstrat, p. 586. memb. 5. quòd non solùm *separatim*, sed etiam *conjunctim* & *simul* in uno eodemque puncto errent, ùt pluribus ibi potest videri.

XII. Cadit ergo EFFUGIUM illud, quod quærit *Gregorius de Valentiâ*, Anal. Cathol. *lib. 8. c. 8.* dum scribit: *Quod addunt haeretici; Patres interdum erravisse, ac inter se pugnare, id nihil nobis obstat, non enim singulorum auctoritatem, ut infallibilem asserimus, sed omnium.* Et paulò ante scripserat: *Ex definitione Concilii Tridentini concordem Patrum sententiam verissimam & infallibilem semper esse habitam: cùm jure vetet Scripturam exponere contra UNANIMEM CONSENSUM Patrum, ùt qui prorsus sit INFALLIBILIS.* Nam: *Aut* intelligitur CONSENSUS *omnium* Patrum in aliquo dogmate asserendo: & hic non potest monstrari, ùt confitetur ipse *Gregorius*: cùm *Consensus omnium, ne unum patiatur excludi*: Ecclesiæ autem Doctores ubique fuerint diffusi. *Aut* intelligitur CONSENSUS *Plurium*, & ita etiam plures in uno dogmate errasse; ipsimet iterum Pontificii confitentur. *Aut* intelliguntur *pauciores*; Et ita eos quandoque errasse dicunt, quandoque non. Uti hæc omnia latissimè ibi deducit B. Gerhardus: ad quem benevolum lectorem remittimus. Unicum exemplum Erroris de Antichristo ex tribu Dan nascituro, nos ex *B. Luthero* comment. in cap. XLIX. Genes. p. 666. addimus: *Caeterùm vulgata opinio est*, inquit, *apud omnes auctores Ecclesiasticos, quòd ex tribu Dan sit venturus Antichristus, quem per colubrum intelligunt, & tanquam principalis articulus fidei recepta & approbata est ab omnibus. Sed alienissima est ab hoc loco & falsissima. Unde orta sit nescio, verùm in antiquioribus etiam scriptoribus extat, & semper ab initiò Ecclesiæ celebris fama fuit de Antichristo venturo, sicut inquit Johannes, Multi sunt Antichristi. Dixerunt,*

nascen-

nascendum ipsum esse in Babylone, ex tribu Dan, & persuasit hos commentum omnes Ecclesias, adeò ut sæpe optarim majores nostros eâ diligentiâ & studio potiùs doctrinam de CHRISTO inculcasse. Ac puto Diabolum hujus fabulæ auctorem fuisse, & finxisse hanc glossam, ut nostras cogitationes à vero & præsente Antichristo abduceret. Nam ex omnibus Scholis & doctoribus Papisticis nemo est, qui sentiat Papam esse Antichristum, omnes opinantur eum ex Babylone venturum. Intereà verò dum illum somniant & exspectant, à vero Antichristo, Romano Pontifice, opprimuntur & absorbentur. Concludimus ergo cum *B. Gerhardo l. cit. p. 557.* & dicimus: *Non minùs omnes, quàm singuli, vel aliqui errare possunt, nullus illorum habuit immediatam Spiritus Sancti assistentiam, nullus eorum fuit Propheta, vel Apostolus, immediatè à Spiritu Sancto illuminatus. Solis autem Prophetis & Apostolis hoc competit, quod post acceptum Spiritum Sanctum nec omnes, nec singuli errent, vel errare potuerint. Patres autem vel omnes simul sumti, vel singuli seorsim considerati non errant, quatenus Scripturam ducem & lucem sequuntur, quæ sola non errandi privilegium habet.* Hanc veritatem etiam agnoscere coactus est *Johannes Semanus* (quod tamen fictum nomen est, ùt ex præfatione patet) *in Methodo certâ, Pacem religionis in Europâ, & veræ fidei unitatem consequendi, Cap. 9. §. 1.* dum scribit: *Statuo I. Sacram Scripturam rectè intellectam ex mente videlicet Spiritus Sancti, majoris omninò auctoritatis esse, quàm scripta, sententias, conclusiones, atque interpretationes claras evidentesq; Patrum quorumcunque, & quantumlibet Sanctorum. Ratio manifesta est. Quòd illam certò constet esse DEI verbum & divinitus inspiratum, adeoq; ubiq; infallibile: modò ut dixi, rectè ejus sententia percipiatur: at verò Patrum omnium scripta, divinitus inspirata esse non constat, cùm hominum verba sint, errores quandoq; complectentia.* Et §. 4. scribit: *Respondeo 1. Patrum singulatim acceptorum auctoritas purè humana ac fallibilis, licèt inter homines prorsus*

exi-

eximia, habenda est : Quamvis in reliquis idem *Semanus*, Patribus plus tribuat, quàm æquum est. Dicit enim *Respons.* 2. *Patrum universim juxta majorem melioremq; suorum partem acceptorum* (quos cap. 7. §. 1. inprimis restringit ad quatuor aut quinq; à CHRISTO secula) *auctoritatem, humanâ esse certiorem, eamq; in Scripturâ dubiâ, ac sententiâ articulorum fidei tutò quemvis ac sine errandi periculo sequi posse.* Quam auctoritatem ibidem *Directioni Spiritus Sancti adscribit, &* Resp. 3. vocat *infallibilem*; *auctoritate tamen Scripturæ rectè perceptæ, minorem.*

XIII. Sæpissimè autem in Expositione Scripturarum, venerandis Patribus errandi occasionem dedit ignorantia linguarum. Quia enim excepto *Hieronymo* & *Origene*, pleriq; Ebrææ Linguæ fuerũt ignari: ideo, interpretes quandoq; non benè fidos secuti; gravissimè sunt hallucinati. Uti vel sola docere potest *Augustini* expositio in Psalmos. Certè enim si ille habuisset cognitionem Ebrææ Linguæ, ùt *Hieronymus*: sui similem in expositione Scripturarum non habuisset. Sed quia eam non habuit: ideo ignorantia textûs Authentici sæpiùs eundem fecit deviare. Sic etiam parvam à mercatoribus iniit gratiam *Chrysostomus*, dum scripsit *Tom. II. Edit. Parisiensis, comment. in Matth. Homil. 38. p. 913.* ad verba cap. XXI. v. 12. *Et ejiciebat vendentes & ementes de templo.* Significans, *quia homo mercator vix aut nunquam DEO potest placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesiâ DEI, dicente Prophetâ: Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* Locus est *Psal. 71. v. 15.* prorsus non *agens* de Mercatoribus, nec etiam *copulandus* in unam sententiam. Sed ita legitur: v. 15. *Os meum narraturum est justitiam tuam, quotidiè salutem tuam: quamvis ignorem numeros,* (ejus:) v. 16. *Aggrediar omnimodam fortitudinem Domine Jehovi, cõmemorabo justitiã tuã solius*; ùt reddidit *Tremellius*. Imposuit itaq; Chrysostomo ignorantia Ebrææ Linguæ, & si-

& fides, quam habuit LXXII. Interpretibus, qui vocabulum סְפוֹרוֹת, quod *numeros* significat, reddiderunt, *πραγματείας*, *negotiationes*. Et hinc tàm dura in Mercatores sententia; eos projiciendos esse de Ecclesiâ DEI, dicente Prophetâ: *Quia non cognovi negotiationes, introibo inpotentias Domini*. Malè ergò fecerunt *Patres Concilii Tridentini*, quòd Versionem Latinam probarunt tanquam authenticam: *in præsulum animos*, ùt refert *Petrus Suavis p. 174. vehementi inde impressione factâ, quòd dicebatur, Grammaticos, Episcoporum ac Theologorum instituendorum potestatem sibi arrogaturos*: cùm; quid tribuendum sit versionibus, vel ex hoc solo pateat exemplo. Et hæc aliquantò prolixiùs allata sunto ad confirmationem argumenti PRIMI.

XIV. Argumentamur II. ad modum argumenti *Disp. II. thes. VI.* propositi: *Nulla ἰδία ἐπίλυσις est principum, unde Sacræ Scriptura SENSUS quoad nos dependet. Sed SENSUS Patrum est ἰδία ἐπίλυσις*. E. Majoris & Minoris probationem ibi lege. Est enim hìc eadem ratio SENSûs ECCLESIÆ, & SENSûs PATRUM. Unde & reliqua argumenta, quæ ibi proposita fuerunt, huc accommodari possunt.

XV. Argumentamur itaq; III. & ultimò: *Quorum SENSUS est ad Scripturam Sacram regulandus: ab iis non potest SENSUS Scripturæ quoad nos, tanquam ab infallibili aliquo principio & auctoritate dependere.* Sed SENSUS PATRUM *est ad Sacram Scripturam regulandus*. E. Minor suprà thes. V. fuit probata, & ab ipsis Patribus, & Pontificiis conceditur. Nam ita *Augustinus*, Tom. 7. contra Cresc. cap. 31. 32. postquam dixisset: *Secundum Prophetarum & Apostolorum libros de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè nos debere judicare:* Ego Cypriani *auctoritate non teneor, quia literas ejus non ùt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis Scripturarum divinarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non*

con-

congruitcum pace ejus respuo. Stat ergo conclusio. Et ita demonstratum sit; quòd SENSUS SACRÆ SCRIPTURÆ quoad nos nō dependeat à SENSU ECCLESIÆ; nec à SENSU PATRUM, sive *unanimis* sit, sive *discordans:* Sed ab ipsâ SCRIPTURA SACRA, sive SPIRITU SANCTO per EAM ad nos loquente. Et, quòd quicquid auctoritatis Infallibilis sit in Ecclesiâ, id totum sit penes Scripturam S. Doctores autem eatenus non errent, quatenus Scripturam ducem sequantur. Ut ita falsum sit, quod in *Regulâ credendi p. 84.* scripsit *Valerianus Magnus: SPIRITUM S. me ex Scriptura textu alloquentem, non possum audire, seu sensum illius capere.* Cujus ἀδυναμίας sine dubio hæc est causa, quòd Pater Valerianus nimis superbus sit, nec à Spiritu S. doceri cupiat. Inquit enim *p. 385. Vivimus in eâ fide, quæ tot tantosq́ viros regenerat, qui MAJORA edunt miracula his, quæ patrarunt & JESUS, & omnes APOSTOLI.* ùt videri potest apud *Dn. D. Petrum Haberkornium,* in præfat. *Anti-Valeriani,* Quomodo igitur Intellectus Ejus à Sacrâ Scripturâ illuminarique at? cùm quantus quantus sit, tenebræ sit & cæcitas, usque ad immensitatem. Nos autem dicimus: *Lucerna pedibus meis Verbum tuum Domine, & lumen semitis meis, Ps. CXIX. vers. 105.*

XVI. Restat nunc, ut paucis expediamus: *Ecquo loco tandem SENSUS & TESTIMONIUM, tàm universalis, quàm particularis alicujus Ecclesiæ; ùt & SENSUS & TESTIMONIUM Patrum à nobis habendum sit?* De *Patribus* dicit F. C. p. 571. *Reliqua verò sive Patrum sive Neotericorum scripta, quocunque veniant nomine, sacris literis nequaquam sunt æquiparanda, sed universa illis ita subjicienda sunt, ut aliâ ratione non recipiantur, nisi testium loco: qui doceant, quòd etiam post Apostolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa Prophetarum & Apostolorum sincerior conservata sit?* Et in *Declarat.* p. 632. thes. 1. dicitur: *Sacras literas solas, unicam & certissimam illam Regulam esse*

credimus, ad quam omnia dogmata exigere, & secundùm quam de omnibus tum doctrinis, tum DOCTORIBUS judicare oporteat. Antequam igitur sententiam nostram exponamus: præmittendum est, quid sit *FIDES DIVINA*, quid item sit *FIDES HUMANA?* Ad FIDEM itaque DIVINAM, rectè docet ipse *Bellarminus*, lib. VI. de Gratiâ & Libero arbitrio, *cap. 2. p. 879.* requiri TRIA. 1. Ut aliquid certò credatur ex parte *Objecti*, id est, tanquam à DEO revelatum, & quod nullo modo falsum esse possit. 2. Ut firmiter credatur, ex parte *Subjecti*, hoc est, ut homo nihil dubitet, & malit potiùs mori, quàm articulum fidei, vel id, quod ad fidem & mores pertinet, non credere. 3. Ut *pio affectu* credatur, id est, ex quâdam inclinatione piâ erga DEUM; quâ incipit Homo cervicem DEO flectere, eiq; se subjicere ad obedientiam fidei, etiam in iis rebus, quæ rationem humanam superant. Contrà autem *FIDES HUMANA* 1. Ex parte *Objecti* non nititur aliquâ infallibili revelatione: sed vel in auctoritate humanâ, vel in humanis principiis fundata est, ac industriâ acquiritur humanâ. 2 Ex parte *Subjecti* conjuncta est, cum formidine oppositi, propter imperfectionem nostram in cognoscendo. 3. Ac magis proficiscitur ex amore erga eos, quorum auctoritate credimus, quàm ex peculiari pietate erga DEUM. Deinde notamus etiam, certum esse, quòd à nullius hominis auctoritate duci possit infallibile argumentum. VERACITAS enim includit duas Perfectiones: SAPIENTIAM in INTELLECTU; ut aliquis rem rectè habeat cognitam: & BONITATEM in VOLUNTATE; ut quis non velit fallere. Quæ; quia in DEO infinitæ sunt, ut nec errare possit nec fallere: In homine autem finitæ, ut & errare possit & fallere: ideo solus DEUS est VERAX: Omnis autem homo MENDAX. Uti hæc de FIDE DIVINA & HUMANA etiam tradidimus in *Proœmio* Collegii Concionatorii.

XVII. Quod ergo his ita præmissis nunc I. *TESTIMONIUM*

NIUM ECCLESIÆ attinet, ſive ſit *TESTIMONIUM UNIVERSALIS ECCLESIÆ*, ſive *PARTICULARIS*: notamus I. quòd illud conſiderari poſſit *dupliciter*, 1. *ùt abſtrahit à verbo divino, & rebus in Sacrâ Scripturâ contentis*; ſive *quatenus non includit res & teſtimonia Sacræ Scripturæ*; & ita certum eſt, quòd non poſſit gignere, niſi FIDEM HUMANAM. Ut enim de ſeſe eſt teſtimonium *Hominum*: ita etiam *FIDEM* gignit *HUMANAM*, non *DIVINAM*. Unde & Eccleſiæ AUCTORITAS non poteſt referri niſi inter argumenta *ſvadentia*, non autem *demonſtrantia & convincentia*. Si n. mihi dicatur vel ab *Univerſali* vel *Particulari* Eccleſiâ: Vel ab hoc aut illo, aut multis *Patribus*: *Hæc eſt ſententia Sacræ Scripturæ, quam debes credere*: illi tantùm habeo fidem *humanam*, & ſtatim recurro ad Sacr. Scripturam, viſurus, an res ita ſe habeat? ad exemplum *Berrhoenſium, Act. 17.v.11.* & quando deprehendo, rem ita ſe habere; aut teſtimonium Spiritûs Sancti *INTERNUM* percipio: tum demum credo *FIDE DIVINA*; quæ à ſolâ dependet Sac. Scripturâ. 2. Ut *verbum DEI*, ſive *res & teſtimonia Sacræ Scripturæ* includit; & ita θεοπνευστίας habet *mediatè*, quatenus videlicet habet, & in ſuo teſtimonio producit Sacram Scripturam. Et ita poteſt ejus TESTIMONIUM gignere FIDEM DIVINAM: ſed *dependenter à Sacrâ Scripturâ*. Quia gignit, non ùt eſt Teſtimonium ECCLESIÆ, ſed ùt eſt TESTIMONIUM Sacræ Scripturæ. Sive non *Magiſterialiter*: ſed *Miniſterialiter*, ùt patet. *vide F.C.p.632.633.* Quia autem ignorat Auditor, an Eccleſia in ſuo Teſtimonio, RES & TESTIMONIA Sacræ Scripturæ includat, ſive non; & an id faciat rectè an ſecus? adeoque ſemper cogitur dubitare; & propterea ad ipſam Scripturam recurrere: Ideo patet, abſolutè & ſimpliciter loquendo, Teſtimonium ECCLESIÆ, non gignere, niſi *FIDEM HUMANAM*. *DIVINAM* autem *FIDEM*, ſolâ & unicâ niti Scripturâ Sacrâ. Videantur ea, quæ pluribus hanc in rem diximus, *Diſp. II. theſ. XV. & XVI.* II. Notamus:

mus: *Majoris tamen Auctoritatis esse* TESTIMONIUM *Ecclesiæ Universalis, si haberi possit: quàm* ECCLESIÆ PARTICULARIS. Præsumitur enim major probabilitas, si aliquid à pluribus & probatis dicatur; quàm si à paucioribus & minùs exercitatis aliquid proferatur. Quicquid tamen sit, non potest hinc alia FIDES in se sequi, quàm HUMANA. Prolato enim UNIVERSALIS vel PARTICULARIS ECCLESIÆ TESTIMONIO: statim interrogare potest Auditor, unde certum sit, quòd hoc sit Ecclesiæ testimonium? fortassis EAM aliter sensisse; & an hoc TESTIMONIUM concordet cum Sacra Scriptura? Et quæ similia, numero plurima proferre potest. Sed quando SACRAS SCRIPTURAS ipse videt, legit, ac audit: tum demum per SACRAM SCRIPTURAM à SPIRITU SANCTO in ejus corde accenditur & producitur FIDES DIVINA. Quòd enim ECCLESIA UNIVERSALIS in omnibus membris suis non errat, hoc non habet ab aliquo intrinseco Principio & sibi insitâ quâdam, & à Sacrâ Scripturâ separatâ & diversâ Infallibilitate: sed ab extrinseco aliquo beneficio; Providentiâ nempe & assistentiâ divinâ, quæ semper Ecclesiam, & aliquos verè credentes promisit conservare, *Matth. XVI. v. 16.* Quæ ipsa Ecclesia tamen per totum Orbem terrarum est dispersa: & propterea nemini de ejus Testimonio apertè potest constare. *Item:* Non habet hoc ex sese: sed quatenus sequitur lucem Sacræ Scripturæ, & audit vocem Sponsi sui JESU CHRISTI. Non potest igitur TESTIMONIO suo ECCLESIA aliam FIDEM, in sese, absolutè & simpliciter gignere, quàm FIDEM HUMANAM.

XVIII. II. Quod itaq; *PATRES* porro concernit: idem planè de Iis esto Judicium. Agnoscimus enim eos cum Formulâ Concordiæ, ùt *TESTES*, & ùt fidos *DEI MINISTROS:* non autem ùt *JUDICES* & *FIDEI DOMINOS. TESTES atq; JUDICES sunt veritatis cœlestis, non autem absoluti, summi & authentici JUDICES;*

CES; LUMINA sunt, non NUMINA; Scripturæ Interpretes sunt & MINISTRI, non autem vel Scripturæ, vel fidei DOMINI ac MAGISTRI, rectè scribit B. *GERHARDUS cit. l. c. 13. n. 4. p. 550. Aliter enim, habere debemus Apostolos, aliter verò reliquos Scripturæ tractatores, illos sciamus semper vera dicere, istos ut homines in quibusdam errare*, inquit *Hieron. Epist. 62. ad Theophil. circa medium.* Illorum ergo TESTIMONIA itidem fidem gignunt in sese, non nisi HUMANAM, ùt ex iis, quæ modò diximus, patet. Concedimus tamen, etiam hîc dari *Probabilitatis* & *Auctoritatis* gradûs: Nam sicuti fit in Testimoniis Humanis aliis, ut quò majoris sapientiæ & Bonitatis aliquis fuerit, eò magis etiam ei adhibeatur fides: Sic etiam, quò majoris Sapientiæ & cognitionis, ac exercitationis in Sacris Scripturis; & quò majoris Bonitatis & Pietatis aliquis inter Patres fuerit; eò etiam magis ei erit credendum, & eò magis ejus testimonium, apud prudentes merebitur fidem. Idem judicium esto; si plures ejusmodi Patres in aliquâ re consentiant. *Nequaquam ergo*, dicimus iterum cum *GERHARDO cit. l. m. 1. vel rejicimus, vel parvi æstimamus Patrum scripta, sed gratâ mente agnoscimus, ipsos fuisse salutaria organa, per quæ Deus Ecclesiæ suæ salutaria commoda præstitit. Nec Prophetias sive Scripturæ Interpretationes, ab ipsis Ecclesiæ relictas spernimus, moniti à Paulo 1. Thessal. 5. v. 21.* Est etiam studium, quod legendis Patribus impenditur utile, & Ecclesiæ salutare. Hinc enim & ita scribit *B. Chemnitius Part. 1. Concil. Trid. p. 58. Grati & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca, commentariis suis utiliter illustrarunt. Et veteris Ecclesiæ testimoniis, in vero & sano Scripturæ SENSU, nos non parùm confirmari fatemur. Neq; enim probamus, si quis sibi comminiscatur sensum pugnantem cum totâ antiquitate, & cujus planè nulla sint Ecclesiæ testimonia.* Et p. 71. *Injuriam nobis facit Andradius, quòd clamitat, nos in universum antiquitatis testimonio nihil tribuere, Patrum auctoritatem nihili pendere, Ecclesiæ approbationem, fidem, majestatemq; labefactare. Bonâ enim conscientiâ affirmare possumus, nos post Sacræ Scripturæ lectionem aliquid, quantum quidem Domini gratia concedit, in inquirendo & investigando veræ & purioris antiquitatis consensu posuisse, &, quotidiè adhuc ponere. Patrum enim scriptis suum, & quidem honorificum, qui illis debetur, tribuimus locum, ut qui multos Scripturæ locos, præclarè explicaverunt, antiqua Ecclesiæ dogmata, contra novas hæreticorum corruptelas defenderunt, idq; ex Scripturâ; multos locos doctrinæ rectè explicarunt, multa de historiâ primitivæ Ecclesiæ annotarunt, & multa alia utiliter*

ter

ter monuerunt. Et cupimus, id quod de gratiâ DEI propter Filium mediatorem credimus & speramus, ut membra veræ Ecclesiæ Catholicæ, in futurâ vitâ, ipsum Filium DEI, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres & Patres, qui verum fundamentum tenuerunt, videre, & eorum familiaritate in omni æternitate frui. Quod est verissimum de PATRIBUS judicium. Interea tamen nihilominus relinquitur, quòd illorum TESTIMONIUM, sive *distributivè* sive *collectivè* sumatur, in rebus fidei, ut ut sit *magnum*: non sit nisi *HUMANUM*, ùt ipsi saniores Pontificii confitentur.

XIX. Ex quibus etiam patet, quòd id quod ex consensu Patrum, vel priorum vel posteriorum, vel utrorumque exstruatur, in se non possit haberi pro *Principio primo*, quale CREDENDA requirant: cui fide DIVINA credere aut adhærere possimus. Quia enim Patrum TESTIMONIUM in se absolutè & simpliciter consideratum, non est nisi HUMANUM: ideo non potest esse Principium fidei DIVINÆ. Ac quia idipsum quod ex Consensu Patrum exstruitur, respectu Scripturæ *Principiatum est*, ad normam Sacræ Scripturæ examinandum ac regulandum: eo ipso non potest esse primum rerum credendarum Principium, aut id, unde Sacræ Scripturæ SENSUS, tanquam à Principio, quoad nos dependeat! CONSENSUS ergò PATRUM est testimonium HUMANUM; in se infallibilitate destitutum: nec *Walenburchiis* ulla conceditur *Infallibilitas* in Ecclesiâ exsistens, quàm *Infallibilitas Sacræ Scripturæ*. Auctoritas autem TESTIUM, quos habuit & adhuc habet Ecclesia, *Ministerialis* est, *humana, suadens, non demonstrans*, absolutè loquendo *in se fallibilis*: *non errans* tamen, quamdiu sequitur Sacram Scripturam. Sicut etiam id, quod *Vincentius Lyrinensis in commonit. c. 2.* scripsit: *FIDEM muniendam esse Divinæ Legis auctoritate & Ecclesiæ Catholicæ traditione: & hoc tum ut fides nostra confirmetur, tum ut adversarii confutentur*: & quod *thes. III.* ex *Justino* adductum est: non-nisi de ejusmodi *TESTIMONIO* verum est, & intelligi potest. Rectè enim *Hieron. in cap. 1. Hagg. Gladius DEI, qui est sermo DEI vivus, percutit illa, quæ absq; auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolicâ homines sponte reperiunt & confingunt.* Et TANTUM etiam de SENSU PATRUM!